

Universitätsbibliothek Wuppertal

Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Dedicatio ex editione C. Velleji Paterculi

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1677)

DEDICATIO

EX EDITIONE

C. VELLEJI PATERCULI.

NOBILISSIMIS ADOLESCENTIBUS,

HENRICO ET JACOBO

FAGEL,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Centesimus annus ipse est, cum vir eximius, Nicolaus Heinsius Vellejum Paterculum, animadversionibus suis expolitum, uni ex majoribus Vestris, Caspári Fagelio, primario reipublicae Batavae administro, dedicaret. Quae res mihi circumspicienti, cui novam ejusdem scriptoris editionem donarem, gentem Vestram, ut vetustate et amplitudine splendidissimis parem, sic insito quodam literarum amore, plerisque superiorem, in animum revocare potuisset. Verum nihil attinet, dedicandi causas, quae in promptu sunt, tam alte repetere. Etenim, quae magna felicitatis meae pars est, a multis inde annis talem necessitudinem cum familia Vestra constitutam habeo, ut nemo me Fageliani nominis sit observantior, nemo Fageliis in voluntate semel erga me suscepta constantior. Cujus conjunctionis initium ortum est tum, cum parens Vester meam in disciplinam tradebatur. Atque hic

animum meum temerari sentio, ut in illius viri laudes
 digrediar, quo neminem omni laude digniorem cogno-
 vi, quem ob raras animi ingenique dotes incredibili
 quodam amore dilexi, quo denique disciplinae meae
 alumno vere mihi visus sum posse gloriari. Sed no-
 lim vulnus, quod vix consanuit, virtutibus ejus com-
 memorandis reficere, aut lacrimas, quae vix exarue-
 runt, alieno tempore renovare. Illud unum dixisse
 satis sit, ut Vos, Nobilissimi Adolescentes, qualis Vo-
 bis pater imitandus sit, mature intelligatis, me, tam-
 etsi per vitae rationes sexcentos juvenes ad humani-
 tatem formarim, nunquam tamen felicius, et omnibus
 numeris perfectius, quam parens Vester nactus erat,
 ingenium tractasse, neque adeo de ullo discipulorum
 meorum spem concepissem majorem. Itaque ex talibus
 sui documentis jam tum augurabar, in eo reipublicae
 Batavae aut Wittios, aut Slingelandos, aut his simi-
 les, redditum iri. Neque hoc augurium nos fefellis-
 set, nisi Deo visum esset, hoc tale ingenium patriae
 tantum ostendere. Sed ut ad ea, quae rem propius
 attingant, progrediar, solebat parens Vester, etiam
 cum ad summos honores pervenisset, saepe multumque
 de Graecis et Latinis literis mecum agere, et de ob-
 scuris vitiatisve veterum scriptorum locis, ex quibus
 ipse expedire se non posset, meam requirere sententiam.
 Hoc idem fecit in Vellejo Paterculo, cujus acumine in
 ingenii moribusque notandis vehementer delectabatur.
 Quem cum ego paullo accuratius legere coepissem, ut
 talis et viri et amici dubitationibus, si possem, satis-
 facerem, blandiente, ut sit, successu, novae editionis
 ador-

adornandae natum est consilium. Quae cum ita sint, quos potius in fronte hujus editionis alloquar, quam Vos, Adolescentes Egregii, quorum pater mihi Velleji edendi causam praebuit? aut quibus potius hoc munusculum deferam, quae Vobis, in quos omnem, quo quondam patrem complexus sum, amorem transfudi? Neque hunc talem animum temere adversus Vos suscepi. Et enim pro amicitia et usu, qui mihi Vobiscum intercedit, ex proximo cognovi ingenii Vestri vim et praestantiam, quae non eas solum artes, quibus adolescentia impertiri solet, celeriter arripiat, sed abstrusiores etiam, ac talis aetatis captum superantes, et cupide appetat, et facile assequatur. Quid dicam de singulari literarum amore, quo Vos ita incensi estis, ut saepe tempus, quod animo remittendo et corpori tuendo dari solet, invidis illis, qui adolescentiam Vestram regunt, in bonorum librorum lectione collocetis. In quo nihil degeneratis a gentis Fageliana indole. Nam cum tot gentiles Vestri summis, quos respublica habet, functi sint honoribus, nemo tamen huc descendit natalium praesidio fretus, sed omnes haec sibi ornamenta acerrimo bonarum artium studio, et nunquam remisso labore pepererunt. Jam in tanta Vestra intelligendi celeritate, cum pari discendi assiduitate conjuncta, quis est, qui miretur, Vos, qua aetate alii literarum in illis imbuuntur, ea gradum ad Academiam nostram facere? Equidem mihi pulchrum et gloriosum duco, Vos ab Avo Vestro, summam prudentiae et doctrinae viro, quem ego totum tribus Horatii verbis, mitis sapientia Laeli, describere soleo,

meae potissimum esse disciplinae commendatos; credo, quod ex sermonibus nostris perspexerat, meos de studiorum ratione sensus mirifice congruere cum suis. De ejus igitur sententia, verissime judicantis, maximam humanioribus literis vim inesse ad ingenium humanum conformandum, biennium totum in Graecis Latinisque scriptoribus legendis, in antiquitatis et veterum annalium memoria replicanda consumetis, assumtis e Mathesi et Philosophia partibus iis, quarum utilitas in vita civili maxime cernatur. Tum his fundamentis Juris Romani scientiam, non nudam istam et jejunam, sed multarum artium comitatu circumfusam, superstructis. Tandem, ubi plenior judicandi maturitas venerit, ad gravissimas quaestiones de Legibus Naturae et variorum populorum progressi, Academicorum studiorum curriculum decurretis. Ex hac severa, et jam inde a Scaligeranis et Grotianis temporibus ducta disciplina immortales illi viri, quos Belgium Foederatum jure opponit aliis nationibus, prodierunt. Quae si perturbata aut eversa fuerit per noyatores, quorum interest discipulos a literarum cultu rudes habere, quo facilius eos in admiratione sui teneant, magno opere verendum est, ne in hominum vere doctorum locum succedant barbari et subtiliter loquaces circulatores. Sed meliora ominari licet, cum Vos, Juvenes Praestantissimi, tam paratos videam ad antiquam illam viam, quae sola ad excellentem eruditionem ducit, alacriter ingrediendam, et ad optimam illam disciplinam, quae Vobis in avito paternoque exemplo est, constanter persequendam. In Vos igitur, tanquam

ext.

eximiam spem patriae succrescentem, omnium ora con-
versa sunt, in Vos publica expectatio erecta: in Ve-
stra denique indole excolenda Leidensis Academia spe-
rat se omnibus, quid recta institutione effici possit,
planissime ostensuram. Valet. Dabam Leidae a. d.
xx. Julii, MDCCLXXVIII.